

LITERAE

DE

OMMATOLAMPE

ET

TRACHELACANTHO

AUCTORE

G. Fischer de Waldheim.

# OMMATOLAMPES

ET

# TRACHELACANTHUS,

GENERA PISCIIUM FOSSILIIUM NOVA,

IN LITERIS

CELEBERRIMO VIRO, EXCELLENTISSIMO DOMINO

**D<sup>r</sup>. EDUARDO AB EICHWALD,**

PROFESSORI ACADEMICO, CONSILIARIO STATUS ACTUALI, EQUI TI, ETC.

DATIS, DESCRIPTA

AUCTORE

*Gotthelf Fischer de Waldheim.*

---

MOSQUAE.

TYPIS ALEXANDRI SEMEN.

1851.

**ПЕЧАТАТЬ ПОЗВОЛЯЕТСЯ ,**

**съ тѣмъ , чтобы по отпечатаніи представлено было въ Цензурный Комитетъ узаконенное  
число экземпляровъ. Москва, 1851 года, Марта 6 дня.**

*Цензоръ и Кавалеръ И. Снегиревъ.*

# OMMATOLAMPES EICHWALDI.

CEL. EDUARDO AB EICHWALD.

4 Februarii 1851.

*Vir Celeberrime*

*Collega aestimalissime,*

Claudendi nunc sunt rivuli mei, etsi prata non sat biberunt, nam oculi mei omnem fere recusant laborem.

In studio strenuo et desiderio ingenuo errores suos agnoscendi et confitendi, modus residet securus et tutus ad cognitionem rerum perveniendi perfectiorem.

In actis Societatis Naturæ Scrutatorum Mosquensis (Nouveaux Mémoires de la Société Impériale des Naturalistes de Moscou. Tome I. 1829. p. 297. Tab. XX. Fig. 2.) descripsi os fossile, quod propter scutum radiatum, totam fere ejus superficiem tegens, pro Chelonia radiata errone habui.

L 567.58

L 100

461798  
233069

Tu, sagacitate Tua cognita ductus, jam dudum me excitasti, ut hoc os novo examini iterum submitterem, id quod feci, et errorem meum agnovi. Cum deinde hoc os ipsum Tibi communicaverim et Tu, anatomia caute instituta, plura ossicula denudaveris et imprimis, lamina *operculi* remota, *arcus branchiales* distincte exposueris, nullum restat dubium, hos os esse partem cranii piscis

In tabula adjecta fragmentum cranii hujus piscis a vertice et a sinistro latere repræsentatum est, ita, ut *oculus* et, retro cristam occipitis, *arcus branchiales* in conspectum veniant.

Proportione habita hujus cranii, quod longitudine inde a crista occipitali usque ad radicem ossium maxillarium, quae prorsus desunt, 4" 6"', et in postica parte occipitis 2" aequat; si quinta pars sumitur relatione totius corporis, hic piscis deberet esse trium pedum longitudine; excederet itaque magnitudine cunctos in hac formatione (Permiensi scilicet) hucusque observatos: Palæoniscum Tscheffkinii, Platysomum biarmicum, Acrolepidem macrodermum, etc., et ab omnibus differt.

*Bulbus oculi* eximius (diametri 1" 5'''), collocatus in orbita adhuc majori (diametri 1" 9'') ansam mihi præbuit hunc piscem *Ommatolampem* adpellandi.

*Ommatolampes* (a græco *ομματολαμπης, εος*, oculis splendidis et fulgentibus donatus) *arcus branchiales a, b, c, d* fortissimi sunt: primus, sive interior, robustior et nodulosus, reliqui magnitudine decrescunt. *Ossa frontalia* majora radiatim sulcata sunt sibique invicem adposita, intercedente sutura. Hisce ossibus postposita sunt *ossa parietalia*, iisque interposita lamina (processus) superior *ossis occipitis*, ad ipsam suturam frontalem accedens. Sinistrum *os interparietale* multis sulcis profundioribus exaratum est. Cui vero ossi conterminum est *os parietale*

genuinum, quod superiora versus adparet et eandem, ut reliqua cranii ossa, contexturam radiatam ostendit. Huic denique ossi incumbit distinctius ac robustius *os tympanicum*, conicæ fere formæ, multo magis versus superiora dispositum; eique in summo loco adjacent duæ tresve *laminae operculares*, valdopere diffractæ et ab argilla indurata exceptæ atque absconditæ. Post hoc *operculum branchiale*, exteriora versus conspicitur magna lataque *apertura branchialis*, in qua distinctiores quatuor *arcus branchiales* ita dispositi sunt, ut superiores duo magis a se invicem distent, quam a reliquis duobus, sibi indicem apprime adpositis. Arcus ossei et robusti parallelo situ mutuo excellunt, quemadmodum imago nostra demonstrat, in qua tres arcus superiores apertius adparent, post *os tympanicum* versus superiora collocati. Ossa hæc, sc. arcus branchiales et *os tympanicum*, sunt sinistri cranii lateris, et proxime inferius conspicitur *processus articularis ossis temporum*, quo maxilla inferior excipiabatur; illique ossi anteriora versus alterum antepositum est *os arcuatum*, *laminae fortasse annuli orbitalis* invicem connexæ, quibus maximus *oculi bulbus* (unde generis nomen *Ommatolampes* desumptum) cingebatur.

In *basi* cranii minus distincte adparent *os sphenoidium* cum *ala majore* dextri lateris; idque, posterius, *os occipitis*, sive potius *corpus ossis occipitis*, et, anterius, *rostrum sphenoidale* sibi adpositum habet; atque in extrema parte antica sinistrorsum adparet *maxilla superior*, in rudimento solum quodam obvia, inque postica parte *prima vertebra trunci*, cum rudimentis quibusdam *humeri* et *scapulae*.

A *tegumentis* corporis *ossea scuta*, longitudinaliter sulcata, passim occurrunt; dentium vero omnium vestigia plane desunt; inde genus e *Percoideorum*, vel e *Siluroideorum loricatorum* familia fuisse, perquam verosimile videtur.

Benevole accipias, vellem, dedicationem hujus notabilis objecti, rari per se, rarioris propter originis localitatem in tali districtu (Bogoslavskiensi Gubernii Orenburgiensis), unde ichthyolithorum proventus hucusque, mihi saltem, incognitus erat.

Fossile hoc in calcareo repertum est griseo, subbrunescenti, qui ad Permiensem formationem referendus videtur. Fortuna prospera mihi et alium, eumque notatu dignissimum, fossilem piscem ex eadem localitate obtinere permisit, *Prionopleurum* scilicet *Panderi*, qui costis omnibus marginibus posticis serratis vel dentatis distinctissimus est, cujusque descriptionem uberiores in Diario Societatis Naturae Scrutatorum Mosquensis (Bulletin de la Société des Naturalistes de Moscou. 1851.) invenies.

Quorum objectorum utrumque deposui in Museo Societatis Cæsareæ Naturæ Scrutatorum Mosquensis.

# TRACHELACANTHUS STSCHUROVSKII.

---

Ecce piscem alium, minorem quidem, elegantissimum tamen, ex eadem formatione Permiensi, sed e Vologdensi Gubernio.

Etsi hanc speciem jam descripsi et icone illustravi in programmate singulari (\*), in honorem Jubilaei sæcularis diei natalitiæ Cel. WERNERI Freibergensis elaborato, spero tamen fore, ut Tibi gratum et jucundum sit iconem repetitam accipere, cum pauca tantum exemplaria prioris programmatis distributa fuerint.

Hic piscis in tabula adjecta magnitudine naturali repræsentatus est. Longitudo ejus inde ab apertura oris usque ad radicem caudæ adæquat septem pollices gallicos cum duabus lineis. Squamæ ejus rhomboidales medio convexae et valde splendentes eum ad familiam *Lepidosteorum* ordinis *Ganoideorum* referre suadent. *Caput cataphractum* vix singula ossa distinguere sinit; tamen *operculum* rhomboidale magnum aperte conspicitur, quod postice spinis longis acuminatis terminatur duabus: altera *subdorsali*, altera *abdominali*. Sed id, quod

---

(\*) Dem Ausschusse des Wernerfestes, zur Feier des hundertjährigen Geburtstages *Abraham Gottlob Werner's* am 25 September 1850. Kurze Beschreibung eines fossilen Fisches, *Trachelacanthus*, von Dr. *Gotthelf Fischer von Waldheim*. Moskwa. 1850. 4°.



piscem hunc ab omnibus distinguit, est *spina gularis*, basi lata, retrorsum incurva et acuminata, quæ et nomen præbuit *Trachelacanthi* (a graeco *τραχηλος*, gula, et *ακάνθα*, spina). Corpus ejus, pectus imprimis, crassum et intumidum est, et subito descrescit prope pinnas. *Pinnarum* duæ in conspectum veniunt: altera *dorsalis*, altera *analis*, haec distat a cauda pollicem 1 et 5 lineas, illa 2 pollices. *Pinna caudalis* magna et furcata est, ramus ejus inferior superiore et latior et longior; distantia inter apices ramorum adaequat 1 pollicem et 4 lineas.


Celeberrimus Professor, Cons. Status et Eques STSCHUROFFSKY hunc piscem e Museo mineralogico Universitatis Mosquensis produxit, ut rite definiatur; eoque teste provenit e Gubernio Vologdensi e calcareo schistoso ripae fluvii Wymm. Formatio hujus localitatis ab illustrissimo Comite a KAISERLING geologice indagata est (Vide: *Wissenschaftliche Beobachtungen auf einer Reise durch das Petschora-Land*. St. Petersburg. 1846. 4°. pag: 401—404). Vir iste celeberrimus hanc formationem ad Permiensem refert, ductus imprimis reliquiis fossilibus, e quorum numero ibi copiosius occurrunt: Productus Cancrinii, Terebratula Roytziana, pectinifera, Geinitziana, Pecten sericeus, Avicula Kazanensis, Modiola Pallasii, Cypricardia bicarinata, Amphidesma lunulata. Piscis hic hucusque est primus, qui ex ista localitate provenit.

Fac, ut Lethæa Tua Rossica mox in lucem prodeat; cura imprimis ut me semper, quemadmodum olim sic et nunc, diligas carumque habeas.

*G. Fischer de Waldheim.*



Ommatolampes Eichwaldi.



*Trachelacanthus Stschurovskii.*